



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 3. Obedientiâ Deo magis, quam hominibus honor deferendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

riculo pereundi. Idem enim facit, atque ille, qui nauem vectoribus plenam committit nauclero imperito; aut qui exercitum credit duci vœcordi; vno verbo, qui ouium gregi lupum constituit custodem. Denique cum ab vno sæpe pastore tali multa millia pendeant animarum, quanti exitij causa est, qui causa est, vt malus pastor eligatur? Et ad hoc nihil dicet Deus? tacebit Christus, si videat Ecclesiæ suæ non dari sponsum, sed mœchum? Hæc vbi pluribus explicauimus, subiecit ille: Mi Pater, non venit nobis in mentem ista considerare: omnis nostra cogitatio est, *Quid in rem sit nostram.* Ah,

Psal. 145.  
3.

*nolite considerare, inquiebam ego, in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.*

Non rarò contigisse memini, vt, diuina Nemeli ita agente, isti tales suis ipsis promotoribus fiant infensissimi. Rectè igitur & sapiunt, & faciunt, qui in honoribus dispensandis iustitiæ normam seruant.

§. III.

*Obedientiâ Deo magis, quam hominibus honor deferendus.*

Ante omnia tamen tenendus est ordo is, qui inter Deum & homines intercedit. Ad

Act. 5. 29, quem attendens Petrus & Apostoli dixerunt:  
*Obedire*

Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.  
 Ergo etiam hominibus, quando Deo non  
 aduersantur: nam illi à Deo autoritatē ac-  
 ceperunt. Vnde, teste D. Bernardo, *sive Deus,*  
*sive homo Vicarius Dei mandatum quodcumq;*  
*tradiderit, pari profecto obsequendum est cura,*  
*pari reuerentia deferendum, ubi tamen contra-*  
*ria non precipit homo.* Quod ostendit D. Ba-  
 silius alijsque ex humanis negotijs, in quibus  
 obedientia inferiori magistratui negatur,  
 quando contraria est superiori. Hinc serui  
 dominos suos debent honorare, atq; audi-  
 re, sed tam diu, quàm diu nihil contra diui-  
 num honorem præcipiunt. Ita & coniuges,  
 & amici, vsque aras debent esse amici. Ita  
 Balaam, non quod regi placuisset, sed quod  
 Deus iubebat, locutus est, benedixitque ijs,  
 quibus Deus voluit benedici. Nec Macha-  
 bæi tyranno, sed Deo obedierunt. Quin ubi  
 de Dei honore agebatur, palàm Principibus  
 restiterunt Ambrosius, Basilius, Hilarius,  
 Chrysostomus, Martinus, Thomas Cantua-  
 riensis, & apud Theodoretum Beroœensis  
 quidam Christianus princeps Apostatæ Iu-  
 liano. Quin & aulici illi, Ioannes & Paulus  
 à Iuliano in numerum familiarium inuitati,  
 liberè negauerunt, se apud eum esse velle, qui a

S. Bern.  
 de præ-  
 cept. &  
 dispens.

S. Basil.  
 Reg. 7. ex  
 breuior.  
 & 114.

Num. 22.  
 18. 38. &  
 cap. 23.  
 8. 12. 26.  
 1. Mach.  
 2. 19.

Theodo-  
 ret. lib. 3.  
 hist. c. 22.

IESV

*IESV Christo defocisset: & Terentiano dixerunt: Si tuus est dominus Iulianus, habeto pacem cum illo: nobis alius non est, nisi Dominus IESVS Christus.* Gregorius quoque Magnus restitit Mauritio leges ferenti, cum Ecclesiastica potestate pugnantes. Eundem ordinem seruauerunt, vt Deo magis obedirent, quàm hominibus, omnes Martyres, qui tyrannis impia exigentibus non solum non paruerunt, sed etiam fortissimè restiterunt.

**S. Bern.** *Valde peruersum est, ait S. Bernardus, profiteri te obedientem, in quo nosceris superiorem, propter inferiorem, id est, diuinam, propter humanam, soluere obedientiam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus, & ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Apostoli, clamant quippe dicentes: Melius est obedire Deo, quam hominibus. Quàm displiceat vehementer Deo, si, ipso contempto, iussa hominum faciamus, ostendit in Adamo, cui dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae; & comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, &c. Inde labor, inde sudor, inde spinæ & tribuli, inde mors, & peccatum in omnes posteros eius propagatum.*

**Gen. 3. 17.**